



DEUTSCHE  
BIBLIOTHEK  
BERLIN

VII  
DE  
**IURE INCERTO**  
EX  
**DVBIA LEGVM, QVIBVS  
VTIMVR, AVCTORITATE  
ORIVNDO**  
DISSERTATIO,

*QVAM*

RECTOR E ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**FRIDERICO AVGVSTO**  
PRINCIP E REGIO

*RELIQVA*

*PRAESIDE*

**MICH. HENRICO GRIBNERO**  
D.P. P. ET ICT. ORD. H. T. DECANO.

*D. XV. FEBR. A. cD Dcc XV.*

PVBLICO EXAMINI SVBIICET

**AVGVSTVS GARNIJS/**  
*IEVERA-FRISIO.*

4  
VITEMBERGAE, FORMIS SAMVELIS KREVSIGIL.

15  
IURII INGRITO

16  
DABIA LEGAN QVIRIAS

17  
ATIERR INGRITO LATE

18  
ORVIZZO

19  
DAH FEGUN OBISS TUMAR

20  
VACORTATTE DRIVINDO

21  
RECTOR E AGEDIMIA MAGNIFICENTISSIMO

22  
SANTANDER TALINCA A COOMINE

23  
RUDRIGO AUGUSTO

24  
RUDRIGO AUGUSTO

25  
RUDRIGO AUGUSTO

26  
RUDRIGO AUGUSTO

27  
RUDRIGO AUGUSTO

28  
MON HENRICO GONZALE

29  
MON HENRICO GONZALE

30  
MON HENRICO GONZALE

31  
MON HENRICO GONZALE

32  
MON HENRICO GONZALE

33  
MON HENRICO GONZALE

34  
MON HENRICO GONZALE

35  
MON HENRICO GONZALE

36  
MON HENRICO GONZALE

37  
MON HENRICO GONZALE

38  
MON HENRICO GONZALE

39  
MON HENRICO GONZALE

40  
ALTEMBERG FORTWIS ZUMAECIS PREBAGEL



DE  
JURE INCERTO  
EX  
DVBIA LEGVM, QVIBVS VTIMVR,  
AVCTORITATE ORIVNDO  
DISSERTATIO

I.



Ulla res est, ex qua maius ciuitatis oriri detrimentum possit, et quae aut uehementius uniuersos premat, aut singulos grauius urgeat, quam si uario et incerto iure utamur; si anceps semper et sollicita litigantium turba incertum iudicium extum uereatur, atque, qui ad tribunal accedit, cliens non minus dubiae se aleae committat, quam si fortis et fortunae se iudicio reliquisset, si omnia nostra denique negotia, contractus, ultimae uoluntates, quid? salus etiam et uita nostra inconstantis iudicis arbitrio

A 2

trio

trio subiaceant, uixque euitari satis possint cauillanti-  
um laquei, quin incauti in eos incidamus.

II.

Causae huius mali plures sunt, in quod non una ratione incurrisse uideas, quae id uel maxime declinare studuerunt, ciuitates. Ipsa primum legum paucitas non potest non certissima incerti iuris esse mater; nam, qui aequitati iudicantium causas permitti citra legum etiam normam posse sibi persuadent, meminisse debebant in tanta hominum dissentendi libidine et animorum inconstantia ac mutabilitate uix contingere posse, ut omnibus eadem aqua et iniqua uideantur, ac plerasque causas tam uariis, quae eam circumstant, momentis, implicari, ut modo in hanc modo in alteram partem flecti possint, et quo se fauor iudicantium inclinet, eo aequitatis species facile pertrahatur. Inde inuisa populo Romano Patrum arbitria, cum per uiginti ut *Ictus* loquitur, aut sexaginta, ut interpretes malunt, annos incerto iure urbs regeretur, satiusque est uisum, uel aliunde leges petere, quam sine legibus diutius fluctuari.

III.

Perinde iuris incerta ex legum obscuritate na-  
scuntur, si non interprete sed diuinatore opus sit ad  
sensem illarum eruendum; si aenigmata et Oracula  
contineant, ut, et qui sequuntur eas, et qui negligat,  
imprudens obsequium praestet et deneget. Denique  
ex laxa iudicium et ius dicentium potestate, dubium  
et incertum ius exoritur, si legislatoris instar illis in  
reddendo iure uerfari liceat, si in exponendis et appli-  
candis legibus interpretis limites egrediantur, rogan-  
dique

dique et abrogandi iuris sibi sumant licentiam, et leges  
nunquam latae vim suam exerere incipient, ante-  
quam promulgentur: quod malum augent in con-  
stantia et dissensus ICtorum, si in eadem Republica di-  
uersae sectae existant, et Sabiniani aliter sentiant,  
aliter Proculiani, dissensusque frequentes propagent  
ad posteros et ad successores transmittant.

#### IV.

Sed in causas huius mali inquirere, easque diligen-  
tius rimari mihi propositum non est. Dispicere  
constitui, quae nostrae Iurisprudentiae, quam *Forensem*  
uocamus, ratio fit, atque utrum illa Iure certo, an  
incertis et dubiis principiis, nitatur indagare. Equi-  
dem ineptus sit, oportet, qui credit, legum nos in-  
opia laborare, cum, praeter grandia fatis utriusque  
Iuris uolumina, antiqui Iuris Germanici Codices et  
Principum nostrorum constitutiones tantam san-  
ctionum saluberrimarum ubertatem nobis praestent,  
ut uel integro quinquennio ad eas cognoscendas opus  
esse, non male maiores nostri censuerint. Aliunde  
ergo repetenda est, si qua supereft, iuris incertitudo.  
Obscuritatem in legibus priscis saepius remorari lector-  
em, negari forte nequit. Obscurantias Collegiorum  
Iuridicorum augere hanc calamitatem, alibi monitum  
est. Controuersiarum Iuris quanta sit copia, quis  
ignorat? Iam suo tempore chiliadem errorum a Pra-  
gmaticis admissorum *Antonius Faber*, controuersiarum  
tredecim centurias *Fachinaeus* dedit: quibus si  
addas, quae ab illo omissa sunt, et quae deinceps ena-  
ta ac excitata ab interpretibus, non centurias, non  
chiliadem, sed myriades, coaceruari posse, dixerim, si  
quis

quis in illis colligendis oleum et operam consumere uelit. Sed dissentis erunt, dum erunt homines; adeoque tibi frustra fingas leges, quae casibus omnibus sufficient, nihil dubium relinquant et inexpeditum; imo non opus erat ICtis si constare Ius sine interpretatione, omnesque ambiguitates legum tolli et praecaueri possint: minui illae, tolli non possunt. Atalia est illius calamitatis, qua seculum nostrum laborat, causa: non solum circa interpretationem, sed circa ipsam etiam auctoritatem ac uim legum, quibus utimur, haeremus. quae, nisi in certo constituantur, necesse est, non tantum quotidie nouas subnasci lites, sed omnia tandem dubia euadere et incerta. Nimirum eo res peruenit, ac summa ICtorum quorumdam, sed nescio, annon noxia ac intempesta sedulitate et subtilitate deducta est, ut cum non uno, non dupli- ci, sed multiplici iure utamur, quae huius, quae illius auctoritas sit, quodnam praeualeat et preferendum sit alteri, tum quounque aut hoc aut illud sequi debeamus, fere ignoremus, et ii etiam, qui iura profitentur, et lites decidunt, ipsi uix ausint definire. Nulla uero est quaestio, quae non in utramque partem disceptari, ac quanadiu illa ambigua sunt, pro iudicantium arbitrio decidi possit. Ita enim non difficile fuerit, respondere hodie ex Iure Quiritum pro actore, cras pro reo ex constitutionibus Pontificum dicere sententiam, mox aliam ex alio Iure ferre, quae distet multum ab utraque. At quam facilis et proliuis inde ad Scepticismum descensus est! a quo quam parum absimus, interpretum in primis culpa, res ipsa loquitur, et praesentes pagellae docebunt. Haec enim instituti mei est ratio, leges legibus

bus conferre, et, quas primum, quas deinceps, in decidendis causarum ambiguitatibus, adhibere fas sit, quam uim singulae ac auctoritatem habeant, dispicere, atque, collatis dissentientium circa haec prima principia Doctorum contentionibus, ostendere, eo rem rediisse, ut tantum non incerta sint omnia, neque superesse, quod tollere difficultates, et decus ac constantiam Iurisprudentiae nostrae restituere, possit, remedium, praeter Legislatoris arbitrium et principalem, quae has lites definiat et componat, sanctionem.

V.

Sed prius, quam hanc rem aggrediar, iniquorum deprecor censuram, ne aut uiolatae reuerentiae erga leges ac legislatores dicam mihi scribant, aut scepticissimi Iuridici patrocinium me existiment suscepisse. Legum in dubium uocare auctoritatem, impium est et sacrilegum; procul a me abest illa proteruitas. Aliud est contra legum auctoritatem et uim differere, aliud dissensiones aliorum circa illam colligere et recensere; aliud uoluntatem imperantium negligere, aliud de uoluntate eorum dubitare. Illud ab instituto meo alienissimum est, hoc licitum non modo, sed utile etiam, imo interdum necessarium esse, puto. Diuersis utimur in foro iuribus, imo contrariis, itaque, si, quoisque singula uim legis habeant, ignores, non poteris non haerere ubique, et incerto animo pendere. Dissentire vero hic circa singulas fere, quae moueri possunt, quaestiones, et ubique in partes contrarias abire ICTos, manifestum est, et pluribus deinceps ostendam, cum praeципua haec pars sit argumenti mei. Neque umbratiles illae

illae sunt et cathedraliae lites, aut priuatorum inter se  
contentiones, ipsa, quae ius dicunt, et de Iure re-  
spondent, collegia, non certioribus principiis insi-  
stunt, nec inter se modo, sed et a se ipsis dissentient. Vnus pro patro, alter pro peregrino iure, depugnat; Canones alter, alter leges, praefert, ut fere, quoties, quam legem sequi debeamus, quaestio incidit, ex uotorum pluralitate, quod ridiculum uideri poterat, de iuris auctoritate transfigatur. Quae cum ita com-  
parata sint, commemorare istas dissensiones, et quod  
inde imminet Iurisprudentiae, periculum modeste  
indicare, remediumque tantis malis, quod praesta-  
re nequeas, aliunde expetere, et ab ipso legum fonte,  
legislatoris arbitrio, expectare, tantum abeft, ut boni  
ciuis aut legum cultoris officio repugnare existimem,  
ut aequiorum potius et prudentiorum iudicio facile  
me consilium hoc approbatum confidam.

VI.

Itaque bono animo, absque ulteriore prologo,  
ad ipsam rem accedo. Leges, quibus Germania uti-  
tur, uel uniuersales sunt, uel particulares. Cum enim  
illa plurium Rerumpublicarum sistema constituat,  
quae in uniuerso corpore et inter ipsos ordines ob-  
tinent, uniuersales, quae in singulis prouinciis aut  
Rebuspublicis uigent, particulares leges dicuntur.  
Cave tamen *Institutionem* et *Canonicum* Ius absque di-  
scrimine inter uniuersales leges referas: plures sunt,  
et admodum noxii, qui ex admissa hac hypothesi, er-  
rores, propullularunt, legum cultoribus sollicite uitandi.  
Mea sententia omnes, quae in quacunque impe-  
rii

rii prouincia, quae, in quocumque territorio obtinent, et priuatorum actiones moderantur, prouinciales leges sunt, i. e. particulares. (a) Hoc nisi admiseris, et interpretandi, et derogandi, et abrogandi sublime ius terrarum dominis, non sine iniuria, negabis. (b) Itaque ipsas etiam Imperii Constitutiones, quae ad priuatorum negotia pertinent, prouincialis ego juris partem facere existimo, i. e. obligare ciues ex domini teritorii iussu et auctoritate. (c)

VII.

Sed de legibus uniuersalibus publici iuris prudentialia exponit, mihi de priuatis tantum siue particularibus animus est dicere. Hae uel domesticae sunt, uel peregrinae, quas receptas uocamus. De domestico, siue patroio iure, primo loco agam. Olim, cum

B      uni.

- (a) Recte iam olim Zangerus: Iura Canonica, quasi Principium nostrorum propria, in Scholis profitemur, et sequimur in foro. Boehmer. ad Decretal. l. 1. t. 2. §. 67. in fin. Add. Conring. d. O. J. G. c. 33.

(b) negabis etiam Ius dispensandi, aggratiandi, restituendi famam contra LL. Iustiniianas, legitimandi praeceptor normam Iure Rom. praescriptam, et id genus alia. Quales errores notauit Praeses, in Disp. d. Iur. Princip. Imp. restituendi famam.

(c) inde solet rescripto Principis obseruatio Recessuum imperari, neque illi ante uim iuris habent, quam quilibet in terris suis legislator iusserit, et quousque id illi uisum fuerit. Videmus enim Principes alias Constitutiones Imperii dudum sustulisse, alias ne admisisse quidem.

uniuersa Germania in quatuor prouincias sive Ducatus diuideretur, iure quoque quadruplici potissimum usi esse uidetur, Boico, Suevico, Francico, et Saxonico. Hoc fragmenta, quae supersunt, nos docent, et luculenter firmat *LandR.* Lib. I. art. 30. et Lib. III. art. 53. *Wb.* art. 7. *Schwaben-Spiegel.* c. 19. Nunc ubi, mutata prisca imperii ratione, in quamplurimas partes Germania scinditur, quot prouincias, tot et fere LL. Codices habemus, adeoque ius Germanicum in *Antiquum* et *Recentius* potest diuidi; illo priscarum LL. reliquias, hoc cuiuscunq[ue] territorii sanctiones, et nouissimas Principum Constitutiones, denotamus.

### VIII.

Atque istae quidem *Principum nostrorum LL.*, quae nouissimum ius Germaniae constituunt, praecipuam ac *indubiam omnino habent auctoritatem*, merito ut fundim eas ac principia iuris certi dixeris. Nam de earum auctoritate quis dubitauerit? imo quis, sine crimen poterit dubitare? nisi forte tibi ueteris scholae ineptiis assuetos Doctores proponas, qui Legislatoriam principum nostrorum potestatem nimis angustis finibus concludebant, et leges uniueriales, quo etiam Romanas nomine complectebantur, per illas mutari posse, negabant. Sed incertas ramen has etiam Iuris certi reliquias reddere conantur, qui obseruantiam requirunt ad Legum auctoritatem, qui eas negant ualere, nisi quatenus receptae sunt, aut, per contrarium usum Collegiorum Iuridicorum tolli Principum Constitutiones, et abrogari posse, contendunt. Hoc enim admisso incertus faepius haerebis, quam Lex quaeque habeat auctoritatem? an inter abrogatas

tas dudum transcripta sit, an usū forensi seruetur? Non difficile fuerit cumulare leges, quas abrogarunt, qui rogandi potestate destituuntur, nisi pene multas iam attulisset Praeses in Diff. de Observantis §. 19. Longe plures inueniet, qui ipsas Constitutiones curate legerit, ex quibus aliae negliguntur, quia ignorantur, aliae, quia olim ignoratae, et neglectae fuerunt. Verum haec quidem incertitudo, quae ex supina Interpretum negligentia, et iniusta praxeos forensis tyrannide oritur, facile tolli, et ab ea Constitutiones liberari poterunt, si obseruantis nullum statuatur pretium, et Leges Principum nostrorum omnes, ut par est, sequamur, non habita usus contrarii, aut cuiusque obseruantiae, ratione.

## IX.

Sed et, cum leges nouae interpretem saepius poscent, neque omnes, qui in rebus humanis obueniunt, casus, lege scripta definiri possint, *interpretatio Legum Iuris incerti* saepius causam praestat. Ea sane Respublica carere nequit. Neque enim suspendi cause et negotia possunt, donec noua lex sanctiatur, imo nouae leges non pertinent ad casus, qui ante eas latas contigerunt. Diuersa autem interpretum ingenia diuersos sensus legibus tribuunt. Limitat unus, alter ampliat, restringit unus, alter extendit, hic in illam, alter in aliam, sententiam uerba trahit. Quia in re cum omnes dissensiones, quae ex ingeniorum uarietate, et naturali ad dissentientium proclinitate, oriuntur, euitari nequeant, id tamen, ut minor earum sit numerus, effici posse, existimauerim, si de principio interpretandi Leges Prouinciales constaret.

B 2

Nunc

Nunc alius communes interpretationis regulas sequitur, alius publicae rei utilitatem, alius aequitatem et naturalis iuris rationes, plerique Ius Romanum. Inde vulgo in ore omnium illud axioma est : *Iura Statutaria*, hoc indigno elogio Constitutiones Principum compellant, strictissimae interpretationis et ita esse explicanda, ut a Iure Communi, ita Romanum uocant, quam minimum recedant. Qui in principio interpretationis haud conueniunt, ab his conformes et cohaerentes quis expectet conclusiones? Regiam Decisionem res illa postulat, atque, nisi ipsi Legislatores, quam interpretandi ICtos sequi uelint rationem, determinauerint, non potest non dissensuum, inter diuersis Principiis assuetos, et controuersiarum larga seges enasci. Neque tamen memini legis de interpretatione Constitutionum latae, qua quousque destituimus, suo quisque principio se satis tuto niti existimat, improbat diuersa sequentes. Mea sententia, si de alia Principis uoluntate non constet, eadem ratione in Legibus, qua in aliis scriptis explicandis, uersari debemus; in primis autem rationem habere illius, propter quam lex lata est, causae, ne euertatur illa interpretantium subtilitate. Quod si de finali etiam ratione legis non constet, aequitatem naturalem non omnino negligendam putem, easque leges laxius accipiendas, quarum causa et utilitas manifesta est, constitutio aequissima et fere naturalis; strictius contra, quae seueriores sunt, aut subtiliores, uel occasionem relinquent, improbis abutendi legum praesidio, in publicae utilitatis detrimentum. Longe aliter vulgo calculos ponunt, neque secus possunt, qui ex Iure Quiritum Leges Germanas explicandas esse statuant.

Quo-

Quorum fateor improbabilem prorsus mihi conie-  
cturam, atque a uoluntate Legislatorum, si quid di-  
uinare licet, alienissimam omnino uideri. *Primum*  
enim nituntur falso principio, Rom. Ius commune  
esse, cum in singulis territoriis perinde, ac illae, de  
quarum explicatione agitur, leges, prouinciale sit, o-  
mnem, quam accepit, a Principis libero arbitrio ha-  
beat auctoritatem: *dein* stricte interpretandas cen-  
sent Constitutiones contra Principum, qui eas quam  
latissime suam uim exerere cupiunt, uoluntatem:  
*denique* aliena et exotica principia perperam afferunt,  
ad expositionem iurium domesticorum. Quod, in-  
uita plerumque Minerua, et contra omnem probabi-  
litatem fieri, infinitis probari exemplis poterat, si  
nunc eo digredi liceret. Itaque paucis erimus con-  
tentи. Querelam inofficiosi testamenti, contra substi-  
tutionem patris, matri concedit Constitutio *El. 9. p. 3.*  
et subtilitatem iniquam Legum Romanarum, quae illi  
hanc actionem denegant, emendat. Hanc, quae de  
matre agit, sanctionem quis dubitauerit ad auiam et-  
iam proferre, cum perinde illi, matre deficiente, le-  
gitima debeatur. Sed *Carpzouius*, et *Dd.* Legum Ro-  
manarum auctoritatem iuri patrio praeferenates, eam  
ad matrem restringendam, contenderunt, ut Iuri Ci-  
uili scilicet ne nimium repugnaret: uid. *Carpz.* *ad d.*  
*C. Def. 5.* Itaque nota Decisione opus fuit (*Dec. El.*  
*47.*) qua illa legis calumnia depelleretur, et inepta in-  
terpretandi ratio euerteretur. *Decisio Electoralis 61.*  
resignationem iudicialem requirit ad dominium re-  
rum immobilium transferendum. Saluberrima con-  
stitutione, cuius ratio est, ne dominia sint incerta, et  
qui non hominibus sed fundo, agro, aedibus debito-

ris credunt, pignore in re aliena constituto decipiantur. Expedit enim Reipublicae, constare de domini-  
nio fundorum et oneribus, quae illis inhaerent, ut fi-  
des conseruetur, sine qua commercia, quae animam  
dixeris esse Ciuitatum, florere nequeunt. Sed hanc  
legem sere sublatam esse existimauerim, si, quod non-  
nulli contendunt, usucapione sine traditione iudiciali  
dominia rerum immobilium acquiri possint, quam-  
uis communes de interpretatione regulae Ius hoc  
**Correctorium** ita postulent explicari, ne in usucapione  
noua inter Ius Quiritum et Saxorum differentia con-  
stituatur. (a) Commodo in mentem uenit Mandati  
Regii

---

(a) Operae me pretium facturum puto si adiiciam, quae  
de hac quaestione ad Regem Pot. retulerunt ann. 1713.  
ICti Vitembergenses weiter und zum 7den so hat sich  
vor einigen Jahren über der 6i Decision die contro-  
uers ereignet/ ob da dieselbe ad translationem dominii  
und folgl. ad constitutionem hypothecae iudicialis er-  
fordert/ daß Diejenigen / so ein Guth vereufern/ oder  
solches jemanden verpfänden wollen / dasselbe in Lehn  
haben solle/ die usucapio nach denen Sächs. Rechten ab  
traditione iudiciali nicht eben diesen Effect praestiren/  
und also derjenige / so per usucaptionem das dominium  
eines fundi erlanget / nicht eben mäßig mit Bestande  
solches verhypotheciren oder alieniren könne etc. etc.  
in dem etc. in denen Gedanken stehn / daß in obgedach-  
ter Decision zu Erlangung des dominii schlechter Ding-  
es die Gerichtl. Lehn erfordert/ und also auch zu usa-  
capione rei mobilis eine traditio iudicialis a non do-  
mino facta erfordert werde/ bevoraus da sonst/ wenn  
die traditio extrajudicialis zu Erlangung eines dominii  
per usucaptionem zu länglich seyn sollte/ die gauße Güste

Regii de anno 1699., quod aduersus cambium indos-  
fatum exceptionem solutionis et compensationis non  
admittit, si ex indossantis iure illa urgeatur. Cuius  
Constitutionis rationem ipse Legislator exprimit, ac  
fraudis cauendae causa eam latam esse profiterur.  
Nimirum facile est indossanti colludere cum debito-  
re, et omnem spem accipiendae solutionis, quam ex  
cessione boni nominis indosserarius habebat, confusa  
apoca elidere, quo facto cambiorum fides frangi-  
tur, et indosserantorum usus pene tollitur. Id ne  
fieret, curae fuit Regi, cum hanc legem promulga-  
ret. (b) Vtrum igitur ad duas exceptiones ea re-  
stringenda sit, ambigitur, et plerique restringendum  
esse

---

Decision gar wenig usum behalten / und die fraudes des-  
ver debitorum obaeratorum contra intentionem LLa-  
toris nicht genugsam euitiret werden würden / in dem  
nicht leichte iemand ein Grund-Stücke besizet / der nicht /  
wann er seines Antecessoris Zeiten mit rechnet / sich mit  
der Vsucaption schützen könnte. Doch ist hiebey nicht zu leug-  
nen daß zu der Vsucaption eine Gerichtliche tradition in  
denen Sachsischen Dichten eben nirgends deutlich erfor-  
dert werde / auch die LL. Correctoriae sonst strictissi-  
me interpretiert werden/ dahero wir auch diese contro-  
vers Ew. Königl. Maj. allergnädigsten Decision billig  
überlassen.

(b) vid. dict. mand. Reg. §. so viel nun die erste Frage uerb:  
weil aber gleich wohl solches dergestalt bößlich in Miss-  
brauch gefogen worden etc. ic. g. die exceptionem so-  
lutionis uerb: Nach dem auch mit derselben dieser Be-  
trug verübet worden etc.

esse contendunt, (c) reliquas quae perinde fraudibus occasionem praestant, fidemque cambiorum infirmant, ipsam etiam pacti de non petendo exceptionem admittunt. Perinde ac si non aequa facile sit, pactum de non petendo configere, quam falsam apocham dare, et qui cum debitore de decipiendo cessionario conspirat indossans, non aequa obtineat, quae uoluit, si pactum hoc initum fuisse simulet, atque si compensationem effinxisset. Ita uero prorsus enerit Constitutio Regia, et perfidis indossantibus, propter quos solos ea lata fuit, uia patet elabendi, et eludendi sanctiōnem saluberrimam, qua commerciorum salus nititur et conseruatur. Idque eam scilicet ob causam, quia Leges correctorias ita explicandas contendimus, ut Iuri Romano minus, repugnant. (d)

## X.

Sed his nolo immorari, qui iam professus sum, Constitutiones Principum reliquias ueluti Iuris certi et fere solas immotae et indubiae esse auctoritatis. Iam ad Iura prisca Germanorum progredior, quorum quanta sit auctoritas, quis usus sit, quis esse debeat, fere

(c) Vid. Responsum Fac. Vitemb. et Scab. Lips. ap. Ill. Berger. Philocal. p. 158. sq. qui tamen recte negat, ad has exceptiones mandatum Regium restringendum esse. Diff. d. Except. non num. pec. adu. camb. §. 23. add. Praesid. princip. Process. Iudic. l. i. c. §. §. 7.

(d) hanc enim rationem in primis allegant Scabin. Lips. et ICti Vitemb. l. c.

fere ignoramus. Crepant multi passim Ius Germanicum, et omnibus paginis mores patriae Iuri opponunt scripto, a quibus si, ut probent Ius suum patrum, et priscos illos, ad quos prouocant, mores, exigas, Dd. Auctoritates allegant, aut, nescio quas, inanes ratiunculas ex genio Germanorum, *Taciti de moribus eorum libello*, uel simili auctore, longe repetitas. Et profecto difficile est dictu, unde genuini fontes Iuris Germanici deducendi sint? An ex Capitulis antiquis, quae, quotusquisque est, qui legat, aut intelligat? An ex libellis historicis et fabulis monachorum, qui uix obiter plerumque attingunt momenta Iuris, et ineptiunt saepius in iis exponendis? an ex compilationibus denique priuatorum hominum, quas nec populus admisit olim, nec Legum latores confirmarunt? Ne nimium mea se diffundat dissertatio, missis tantisper aliis Germaniae Legibus, de prisco Saxonum tantum iure agam. Capitularia Saxonum prisca qui hodieque dicat uim legum habere, non memini me legere. Itaque de tribus Voluminibus Iuris Prouincialis, Feudalis et Weichbildici pauca tantum dicam. Quam dubium, quam incertum est, utrum olim ea Iuris habuerint auctoritatem, quae huius, quae illius, Voluminis, et in quibus fuerit locis? Quae hodie sit? quae capitula ualeant, et usu seruentur, quae nulla ui polleant, et negligi possint impune? Et oleum tamen ac operam perdunt, qui de restituendo Iure antiquo laborant, antequam confiant, unde Ius illud antiquum hauriendum sit, et quo usque olim fuerit in usu. Sed operaे est pretium, distinetius paulo de his agere, ut, quam dubia sit illa prisci Iuris auctoritas, euidenter constet.

Primum ergo incertum est, quae Codicum Iuris Saxonum antiqui, quae Prouincialis Iuris, quae VVeichbildi, quae Collectionis Feudalis, olim fuerit auctoritas. Priuata industria conscripta haec esse uolumina, omnes fere fatentur, an postea Legis auctoritatem habuerint, de eo in utramque partem disputatur. Etenim id quoque negant haud pauci, qui ineptam hanc Rhapsodiam nunquam partem Iuris constituisse uolunt. (a) Magnam contra illius olim auctoritatem fuisse, alii non sine probabilitate contendunt. Sane *Gregorius Pontifex* in bulla, qua speculum Saxonum inter detestabilia scripta refert, librum hunc in Saxonia et nonnullis aliis partibus, indices et incolas, omisis canonibus, aliquique scripturis sacris competentibusque naturae et ciuilibus legibus a longis citratenporibus obseruare, obseruare etiam de praesente, conqueritur. Atque cum *Marinius de S. R. Pol. c. 7. p. 119.* testetur ex eo tempore 14. illos articulos, quos Pontifex improbauerat, *Alexandri Regis* iussu non amplius legis uim apud Polonus habuisse, salvo in reliquis capitulis Speculi huius uigore, inter Saxones multo magis id legis auctoritatem habuisse non improbabile est, quod et *Conringius de Orig. Iur. German. c. 30. p. 184.* confirmat, adde *Gryphiand. de Weichb. c. 47.* Non ausim tamen quicquam definire. De *Weichbillo* perinde dubitatur. Fabulae enim sunt tabulæ, quae circumferuntur, Ottonis M. et priuilegia cetera, quae anti-  
quam

---

(a) uid. *Praefid. Diff. d. terris Iur. Sax. §. 26. lit. b.* add. *Clar Hofmann. d. LL. German. p. 116.*

quam confirmationem Imperatorum mentiuntur.

(b) De iure feudali infra dicam: neque tamen certiora sunt, quae de prisco usu eius afferuntur.

## XII.

Vt inam uero satis constaret, quae hodie Librorum istorum, utcunque olim se res habuerit, sit aut esse debeat auctoritas! Vtrum in dubio, qui ad tex-  
tum Iuris Saxon. prouocat, fundatam, ut loquun-  
tur, habeat intentionem? an uero, quod malunt  
alii, non ualeat illud, nisi, quatenus receptio eius,  
et usus singulorum articulorum probetur? E-  
quidem non desunt, qui omnibus omnino articulis,  
nisi quos sublatos esse constet, auctoritatem asse-  
runt, (a) et, in dubio eas iuri cuiuscumque peregrino  
praeferre debere, (b) contendunt. Sed et plerique  
Dd. in alteram partem contendunt, et usus fori in-

C 2

con-

(b) uid. Mencken. Progr. V.

(a) Ita Leiserus contendit Disp. I. quae differ. Iur. Civ. et Sax.  
exhibit §. 4. sq. add. tamen eiusd. Disp. de uariationibus  
ICtorum p. 57. ubi negat, Volumina prisci Iuris Saxonici  
auctoritatem Iuris habere. Schreiterus autem diff. d. Orig.  
Iur. Saxon. §. 27. afferit, textus singulos citra ullam usus et  
Obseruariæ probationem iuris auctoritatem virtute propria  
obtinere. Quamuis Constitutiones Eleitorales, ad quas  
prouocat, neque ad auctoritatem Collectionum illarum  
in aliis prouinciis adstruendam sufficiant, neque  
tatis probent, absque discrimine illas uim iuris habere,  
add. Clar. Hofmann. l. c. p. 117. lit. p.

(b) Magnif. Ordinarius in Disp. de praerogativa morum in con-  
cursu cum LL. receptis hanc confirmat sententiam, sed  
exempla, quae attulit, ostendunt, modo Saxonum,

constans ille quidem et incertus satis, docet, pleraque Iuris Saxonici capita negligi strenue, et feliciter ignorari. Quotusquisque est, qui Volumina illa, quae Legum uim habere ii, quos dixi, statuunt, legat, quotusquisque, qui intelligat? Intra seculi spatium, et quod excurrit, nemo bibliopola operae pretium se facturum credidit, si illa iterum excudenda curaret, et tamen passim obambulat *Repouius*, atque uilissimo pretio uenit. Latent optimi et emendatissimi Codices, ad quos, quibus nunc utimur, multo magis mendosos dudum exegissent uiri docti, si Iuris auctoritatem libellos illos credidissent habere. Nunc nemo iuentuti textus Iuris Saxon. explicat, nemo fere eos in foro allegat. Tantum abest, ut singuli maiorem quam Iustinianum et Canonicum Ius, habeant auctoritatem. Communis schola Dd. docet, *Ius Saxonum antiquum hodie non ualere, nisi quatenus usus et obseruantia eius doceri possit.* Ita H. Pistor. Rauchbar, Schultes, et Colerus, ita Carpzouius, Struuius, et Richterius, ita et nouissime Menckenius, Lynckerus, aliique tradunt. (c) Hoc

---

modo Romanum Ius praeualere add. *Eiusd. Iurispr. Feud.*  
c. 1. §. 32. Illustris autem Bergerus de Vs. A&E. Poenal. Ius Saxonum Romano quidem praefert, addit tamen, *nisi quatenus per Ius Romanum ei derogatum esse doceatur*, uel lege expressa, uel usu. At usus ille quam varius, quam inconstans, quam incertus est? ut etiam admis-  
sa haec, quam alii in dubium omnino uocant, regula, supersit summa de auctoritate Iuris Saxon Comm. in-  
certitudo.

(c) conf. Hofmann. p. 177. et Diatrib. de receptione Iur. Rom.  
S. 3. §. 7.

Hoc uero perinde est, ac si dixeris, non constare, quo-  
usque obtineat, et in quibus capitibus sit receptum.  
Nihil enim minus certum est, quam usus fori. Fin-  
gunt Pragmatici Collegia Iuridica esse usum fori, et  
ex eorum sententiis pendere legum auctoritatem.  
Ita uero, quot Collegia, tot usus legum habemus ho-  
diernos. Imo saepius unius uiri auctoritas efficit,  
ut semel lata sententia obseruantiae instar allegetur,  
atque ex unico praejudicio usus forensis aestimetur.  
Sane plerique hodie, licet id diffiteantur, nullos alias  
textus Iuris Saxonici receptos esse credunt, quam de  
quorum usu *Carpzouius* attestatur. Neque de sensu  
genuino illorum textuum quisquam sollicitus est, sed  
de usuali interpretatione. Itaque uix umbra super-  
est nobis Iuris Saxonici antiqui. Velle ederent  
ICti, qui Ius Saxon. non, nisi quatenus receptum est,  
ualere contendunt, inuentarium aut specificationem,  
licet iniuratam, articulorum receptorum ac reproba-  
torum; aut Vsum Modernum, qualem Institutio-  
num, Pandectarum et Decretalium alii moliti sunt,  
Speculi Saxonici quis compilaret, ut, si non quam  
habere debeant, saltem quam huc usque habuerint,  
capita singula auctoritatem, intelligatur. Iam enim  
eo res rediit, ut incerta sint omnia, ut tantum non  
ubique haereat animus ignarus, quousque ualeant  
Corpora illa prisci Iuris, et an plenissimam, an ali-  
quam an nullam omnino habeant, quae ex iis afferun-  
tur, auctoritatem?

Auget hoc malum peruersa Dd. interpretandi ratio, qui, quam in Principum nostrorum Constitutionibus explicandis eos seruare dixi, rationem hic quoque sequuntur, Ius antiquum Saxonum ut ex Iure Romano interpretentur. (a) Ita uero uis infertur iuri patrio, et prisci mores corumpuntur. Fuit Saxonum Ius in usu ante, quam Iustinianum Ius cognitum aut auditum nostris esset. Quis ergo existimet, illud ex Romauo explicari debere? Confundere hoc est et miscere omnia, neque interpretari leges, sed in alium torquere sensum. Atque hinc illa descendit Romano Germanica Iurisprudentia, quam nec Romani, nec Germani, suam dixerint. Amisimus duadum sensum genuinum plerarumque LL. Saxoniarum, quae supersunt, Legibus peregrinis peruerimus trahimusque in fententiam alienam. Id Saxonum, id aliis, evenit consuetudinibus. Lege *Carpzonium* et reliquos interpretes Iuris Saxonici, qui post Augusti, Iustiniani, Saxonum, tempora commentati sunt, et fidem facient eorum, quae dixi,

reli-

---

(a) Communem hunc errorem, cuius passim occurruunt uestigia, merito refellit *Titius ad Lauterb. Obs. 4. p. 4.* qui doctrinam hanc imperitorum Legistarum somnum esse scribit add. *Ludwig de emendend. Iurispr. c. 20. p. 25. Sq. Consentit. ill. Berger. d. V. A. P. §. 10. p. 72.* atque, *Ius Romanum potius ex Iure Germanico explicandum esse*, contendit. Quamuis hoc quoque pauci, puto, admiserint, et utriusque iuris, et domestici, et patrii, interpretatione diuersa praesidia requirat.

*reliquias Iuris Saxonici, interpretatione inepta ICtorum,  
fere desisse esse Ius Saxonum. Et hos tamen praxis,  
de genuino sensu antiquorum textuum parum solici-  
ta, sequitur, (b) imo quotidie mixtura augetur et  
noua confusione iurium accedunt incrementa.* (c)

XIV. Ve

- 
- (b) exempla passim sunt obvia. Itaque unum tantum addo. Ad Wergeldi praestationem infantes etiam teneri constituit Land R. l. 2. art. 65. quod Leiferus improbat. Coliat. Iur. Sax. ib. 45. probat Thomas. d. Larv. Legis A-  
guil. ib. 9. Sed usu fori textus hic ad rationes Legis A-  
quiliae reuocatur, ut non nisi pubertati proximi ad  
Wergeldum soluendum condemnentur. uid. Praefid.  
Diff. de incep. cum nouerc. matr. addit. 2.
- (c) Ita olim ICti Saxon. maritum negarunt, praeter mo-  
bilia quicquam capere ex uxoris hereditate. Moller. P.  
3. C. 21. n. 14. Carpz. P. 3. C. 22. D. 24. Riwin. Diff. de ma-  
rit. hered. mobilior. §. 36. nunc autem uideas, hic quo-  
que ICtos Ius Romanum uocare in subsidium, et ma-  
rito inopi concedere successionem ex Nou. 117. c. 5. V.  
Stryk. d. Success. ab intestato c. 3. f. 3. §. 9. Nicolai. Ref. 12.  
n. 179. Berger. Oecon. p. 468. Atque ita pronunc. F. N.  
an. 1710. M. Iul. D. a. D. andere Rechts-Lehrer be-  
haupten/ daß auch in Sachs. ein Ehemann/ wenn er vor  
sich nichts in Vermögen hat/ und keine/ oder wenige mo-  
bilia in Sr. Frauen Verlässenschafft verbanden/ nach der  
Nou. 117. c. 5. die sucession zu suchen berechtigetc. Et eod.  
mense ad Consultat. M. C. H. D. a. D. andere Rechts-  
Lehrer nicht unbillig behaupten/ daß in dem Fall/ da ein  
Eheweib keine oder wenig mobilia verlässt/ der Ehe-  
mann nach Anleitung des Gemeinen Kaiserlichen Recht  
auch in Sachsen succediren/ und da er selbst wenig in Ver-  
mögen hat/ und keine Kinder vorhanden den vierten Theil

Venio iam ad Iura peregrina quae ab aliis accipimus et ad nostra applicamus instituta. Initium autem faciam a Romano, quod Civile *νατ' εξοχήν* dicitur, non a Iustiniano tantum, sed et vulgo a Germanis. Quia ratione id in nostro imperio ad hoc, quod tenet, fastigium ascenderit, obscurum est. Alii tacito usu id irrepsisse contendunt: Alii expressa confirmatione Imperatorum roboratum. (a) A Lothario nonnulli, (b) a Friderico (c) alii; alii demum a Maximiliano. (d) Incerta haec sunt omnia, et coniecturas dant, qui hic quicquam audent definire. Ego inuitis Principibus et Ciubis Imperii initio obtrusum esse credo, non sine libertatis Germanicae et iurium, quae ordinibus competebant, praecidicio singulari. Dabo aliquando speci-

---

von seines Chevebeis sämlicher Verlassenschaft pleno iure behalten könne. Inde vero noua succedendi ratio exsurgit ex lute Rom. et Sax. mixta. Inde plures aliae controuersiae enascuntur: an mobilia quoque hoc casu Iure ususfructus maritus accipiat? an haec pleno et supplementum portionis ex immobilibus petere possit? an ex mobilibus proprietatis pretium deducendum sit, et minuenda portio usufructuaria ob proprietatis rerum mobilium accessionem? et quae sunt ceterae. Satius opinor, fuerat, succedendi Iura non turbare, sed quae Saxonici est iuris Successio, eam ad Saxonicas tantum exigere leges, non ad Iustinianum Ius, quod mobilium successionem mariti ignorat.

(a) uid. Lyncker. ad tit. d. O. J. Stryk. in Praecogn. c. 3. §. 7.

(b) conf. Thomas. Hist. Iur. §. 119. seqq. Kulpis Diss. Epistol. §. 13.

(c) u. Kulpis L. c. §. 63. p. 66. Edit. Thomas.

(d) uid. Tit. ad Lauterb. Obs. 3. p. 3.

specimen de damno Principum Imperii ex admisso Iure  
Romano. Quod in causis Iuris publici, in controuer-  
siis illustribus, quae inter ipsos, aut ipsis cum Rege,  
intercedunt, illi locum reliquerint, quod in suis Pro-  
uinciis receperint, ac Iura territorialia ex principiis  
Philosophiae Romanae aestimare permiserint, id  
utrumque uix dici potest, quam noxiūm ipsis fuerit  
et infauustum. Ut non frustra mihi se opposuisse Le-  
gistarum conatibus uideantur ac refragati diu, (e) do-  
nec tandem cederent, et tacite saltim huic nouarum  
legum rogationi consentirent. Ante Maximiliani  
tempora iam usum aliquem in scholis et in foro Ro-  
mani Iuris fuisse, non dubito, (f) sed exiguum et  
multo magis etiam, quam hodie, incertum. Maxi-  
milianus plus ei auctoritatis praefuit, quem *Iuris  
Communis* (g) (gemeiner Rechte) nomine Romanum  
potissimum complexum esse, plane persuasum habeo.  
Qui Iustinianum decepsorem suum (seinen Vorfa-  
rer am Reiche) appellabat, (b) qui recessibus suis tan-  
tum non integros Iuris Romani titulos inseruit, et  
ICris Consiliaris utebatur, ei facile persuaderi potuit  
quartas Monarchiae rationes postulare, ut *Ius Romanum*  
in Romano obineat imperio, (i) idque in primis Ius  
Com-

D

Com-

(e) uid. Conring. c. 32. Kulpis. §. 45. add. Mullers Reichs Theatr.  
p. 1. c. 5.

(f) uid. Ill. Berger. d. V. A. P. §. 9. et Anon. Diatrib. de recept.  
*Iur. Rom.* S. 1. §. 6.

(g) Ill. Berger. l. c. et Diatrib. d. recept. J. R. l. c. §. 9 et n.

(b) Kulpis l. c. §. 82. qui frustra ad Italiam hanc appellatio-  
nem referre uidetur.

(i) Causas uero omnino iustas habuerunt Imperatores, cur

Commune esse, et hoc elogio recte appellari. Sed ad Cameram pertinet eius Constitutio. (k) Nam in singulis Prouinciis quis usus debeat esse Iuris huius, forte nec uoluit, certe non potuit, puto, determinare Maximilianus. Quando ergo ubique et in singulis Prouinciis receptum sit, (l) ignoramus. Poteramus forte et secure id ignorare, si modo, quousque receptum sit, et quem nunc usum habeat, sciremus. Duo in primis expedienda sunt. Primum, quae eius sit auctoritas, si cum aliis iuribus conferatur? Dein, quousque receptum sit, an integrum, an et qua ex parte? Sed quis utramque questionem expedierit? Vtraque incerta est. Dd. circa utramque dissentient. Usus uariat. Leges nihil definiunt.

#### XV. Nam

conatibus Legistarum fauerent. Namque illi contra Decretistas auctoritatem Imperatoris ex iure Romano tuebantur. Et in imperio Iura Caesarea extollebant, ordinum deprimebant, reseruatorum angebant ex iure Romano numerum, ordinum ad iurisdictionis vulgaris et magistratum rationes redigebant potestatem. Vniuersale etiam orbis uniuersi dominium, ut alia omittam, Imperatoribus afferabant.

(k) quod recte monuerunt Corring. et Vnuerfabri Diff. Distrib. d. R. J. R. S. i. §. 12.

(l) de Saxonibus suo etiamnum tempore Hattenus scripsit: moribus antiquis eos utere, ignorare Barolum et Baldum et Iustiniani Pandectas uid. post Corring. Schreiter. d. Orig. J. Sax. p. 30. add. Ill. Thomas. ad Kulpia. Diff. Epistol. §. 45. n. 26. p. 48. Creuit per intervalla Iuris Civilis in Saxonia auctoritas, quam multum promovit Augustus Elector, altius extulerunt ICti, Carpzonius in primis, quem qui securi sunt, magis etiam de usu eius vindicando solliciti fuerunt.

XV.

Namque, quod ad priorem Controversiam attinet, nonnulli *iuris principalis* et communis Romanum rationem haberi uolunt, pro cuius obseruantia sit praesumendum, quod deroget reliquis, et ex quo cetera sint explicanda. Plerique *subsidiarium* uocant: sed uim huic uoci diuersissimam tribuunt, ut, quando insubsidium uocandum sit, ignores. Alius statim, si lex provinciae desit, aduocat, alius post specula et ceteras antiquas Germaniae leges admittit, nonnulli etiam post Ius Canonicum demum. Quae cum toto coelo distent sententiae, non possunt non diuersissimae inde fluere conclusiones. Et hae tamen ita comparatae sunt controversiae, ut in utramque partem disceptari possint, et nunquam futurum sit, ut Dd. circa eas consentiant, nisi sacrum Principis oraculum dissensiones sua decisione componat.

XVI.

Succedit altera eaque gratior etiam controversia, quousque Ius hoc siue primarium, siue subsidiarium ( quocunque sensu hanc uocem accipias ) usum in foro habeat. Olim barbara ICtorum aeras ex glossa eum aestimabat. Quos textus enim glossa non habet, eos nec in foro obtinere contendebant. quae, licet inepta fuerit, hypothesis incertitudini tamen Iuris medebatur. Qui enim textus glossis illustrati essent, eo tempore a nemine ignorabatur. Explosa dudum haec est opinio, sed dubitatio eo nunc maior est de auctoritate legum Romanarum. Alii enim non nisi eas, quae receptae sint, et quarum obseruantia probari possit, ualere contendunt, alii in uniuersum o-

mnes, quibus non sit derogatum. *Obseruabilitatem* hic urgent sibi sufficere, (a) et *aptitudinem* s. *usum potentialem*: obseruari posse, imo et debere, leges singulas, et si nunquam fuerint seruatae. Hos uideas quascunque poenales et populares actiones, et iudiciorum, b. f. et stricti Iuris discrimina, tum cetera, quae ex Iuris et Processus Romani subtilitate enata sunt, capita, inculcare sedulo, et cautionis loco commendare. (b) Quod si qua, nunquam usitata, inueniatur actio, eam infrequentem, dicunt, esse, non abrogatam. At, qui ex altera parte stant, omnibus titulis, imo legibus singulis, status mouent controuersiam. Vix decimam aut uigesimam Iustiniane Iuris partem, usum habere, contendunt. Volunt receptionem et usum singularum legum probari debere. Quam ego impossibilem probationem existimo, in primis cum a loco uno ad alterum inferri nequeat, et Dd. testimonio, prae iudiciis, et obseruantiae parum fidei, qui ita sentiunt, tribuere soletant. Ita uero facile est, ad singulos titulos scribere: Hae leges non sunt in usu. Nam, ne receptio singularium legum probetur, non est metuendum. Mihi

---

(a) Lynkeri haec uox et doctrina est, quem uid. ad *Tit. d. O.* I. p. 49.

(b) Neque uero miror, causarum patronos hos potius, quam dissentientes, sequi. Nam hae cautiones utrum aliquando habere possunt, nocere nequeunt, cum plus perentium poena non metuenda sit, iis, qui duplum aut quadruplum postularunt, legis Romanae et doctorum nixi auctoritate, etiam si simplum tantum consequantur.

si uerum fateri licet, neque haec neque altera sententia probatur. Plus illi, quam par erat, tribuunt peregrino Iuri, hi minus : Illi incognita Iura inducunt, hi tollunt etiam recepta : rogan t illi leges, hi abrogant : Iniquum ius illi obtrudunt, hi omne incertum reddunt. Itaque si, quod ipse sentiam, addere integrum est, receptionem LL. Romanorum, eandemque uniuersalem, admiserim, sed quatenus moribus genioque Germanorum illae congruunt, non quoad inanes subtilitates, aut ea capita, quae ex rationibus Reipubl. priscae Romanorum, et processu antiquo Quiritum, oriuntur.

(c) Continentur in Iure Romano haud pauca, quae ne eo quidem tempore, quo Iustinianus compilacionem suam edidit, usum habuerunt. Continentur plura, quae plane non conueniunt temporibus nostris, Reipublicae, utilitati communii. Ea omnia obseruata nostris esse, aut obseruabilia, non adducor, ut credam. Itaque miror eos, qui, nescio quam, utilem de albo corrupto et Triticiariam, ac, quae aduersus executores litium locum olim habebant, actiones, qui ea, quae de seruitute, de inutilibus stipulationibus, priuata in Ius uocatione, aliisque obsoletis argumentis in Iur. Rom. occurruunt, hodieque usum praestare contendunt, aut Philosophiam Rom. de rebus communibus

D 3

et

---

(c) Non diffiteor tamen haec quoque admissa hypothesi usum Iuris Romani non satis certum esse. Nouae enim oriuntur ex ea contentiones, *utrum hoc vel illud caput nostris moribus ac indoli Germanorum rationibusque Reipubl. conueniat, an repugnet?* *utrum superficie legis, ob quam latam fuerit, ratio, an omnino cesseat?* Minuit haec sententia incerta Iuris, non tollit.

et publicis, de potestate magistratum, Iure restituendi famam, et de infamia transfigendi, infeliciter ad nostras trahunt Respublicas et magistratus; Et quae ex accusatori Processus indole fluunt, ad inquisitiones applicant, initiationes in iure, stricti et b. f. iudicia arbitria, et centum alia, quorum causas ignorant, ad nostra fora transferunt, et in aliud detorquent sensum. Quos non motus L. f. ff. d. Rei vindic. dedit: quae controversiae de actione, quod metus causa, natae sunt? Ego utrumque caput non existimauerim in usu esse. Non quia receptio probari nequit, sed quia utraque constitutio rationes processus antiqui, quo Romani utebantur, nos non aequē utimur, praesertim, et supponit; quia interrogations in iure non habemus amplius, nec arbitria et iussus, sine quibus nec intelligi, nec applicari prīcae leges illae possunt. Ceterum in singulis legibus receptionis probationem, non puto, alleganti eas iniungi debere. Imo, id si admittatur, omnem LL. usum in dubium uocari posse, credo. (d) Neque enim Dd. testimonium sufficit ad usum

---

(d) Recte III. Berger. d. V. A. P. p. 69. Verendum est ICtos, quibus eius disceptatio relicta est, arbitrio suo abuti, si quidem statuamus, ius Rom. demum, qua moribus receptum sit, valere. Ita enim *incerto uimur iure*, et *in infinitis* propemodum *preminutis difficultatibus*, ut quo tandem pedem figere possumus, non inueniamus, quin *semper dubium sit, receptane sit lex Romana*, qua lis dirimi posse dicatur, atque adeo ante, quam obseruatio legis ab alterutra parte comprobetur, nihil queat definiri. Gemina his Strassius habet in Programmate ann. 1702. scripto. Quid tandem, inquit, fieret *litigantibus*, si *legi Insinuante nisi eiusdem usum aduersario exigente probare*

usum legis confirmandum, neque Responſa Collegiorum Iuridicorum. Igitur a prima receptione res reperenda est, et cuiusque prouinciae habenda ratio. Id uero in LL. singulis quam difficile est, imo quam impossibile, prafestare! Ita incertissimus erit Iuris Romanī usus, imo plane nullus. Et inter has tamen sententiarum extremitates Dd. fluctuant, eoque res fere redit, multa sciendo, nihil ut sciamus. Sed quis tollet has diſſensiones, quis soluet has difficultates? Nobis satis est, eas indicaffe.

## XVII.

Nondum attigi controuersias, quas circa auctoritatem singulorum Iuris Ciuilis librorum mouent Dd. Vtrum Institutiones Pandectis, an Pandectae Institutionibus derogent? an, et quoisque, his et illis, Codex? Quae Authenticarum sit auctoritas? Vtrum Nouellae non Glossatae uim iuris habeant? An Grae-

co

---

tenerentur? Equidem ita lis ex lite processus ex processu na-  
sciturus foret, cum primis, si recognitus, aduersario repro-  
bationem vel contrarium demonstrationem denegari baud pos-  
se, causa interim principali quiescente ac suspensa. Vi taceam  
cum iudicantibus in iudicio, cum affessoribus in iisdem duram  
conditionem obrudi, si ista sententia praealveret. Illi enim  
in scholis antea Ius Ciuale edocti, postea ad forum delati,  
animaduertentes, quod leges Iustinianae non probent, nisi  
de earundem uisu constet, hactenbunt semper, num secun-  
dum earundem tenorem pronunciare queant, cum ob-  
seruantiam earundem hactenus ignorent. Vnde eue-  
niet, ut plerique Iudices, conscientia dubia, sententias  
suas proferant, et cynosura certa, quam alias e uestigii  
Iuris Ciuilis sequi poterant, plane destituantur.

co textui Latina uersio praeferenda? Quid de Nouellis Leonis , et de Legibus restitutis , sentiendum sit ? Leuiores hae lites uideri possunt , si cum his conservas , quas modo attigimus . Sed grauisimae tamen sunt omnino , et admodum foecundae . Nam ex singulis plures propullabant controversiae , quas ex ea , quam quisque sequitur , hypothesi resoluti . Diuerfissimas autem , oportet , esse eorum resolutiones , qui in principiis non contieniunt . Neque sine probabilitate haec in utramque partem disceptantur , cum de legislatorum uoluntate non constet , et ex coniectionis desumpta sint , quae in utramque partem differuntur . Sed satis de incerto Iuris Romani usu actum est . Pergamus ad ea , quae supersunt .

### XVIII.

Sequitur *Ius Canonicum* , de cuius usu inter Protestantes in primis longe incertiora etiam sunt , quae uulgo traduntur (a) Alii , nullam plane eius auctoritatem esse debere , contendunt , (b) ex quo ad hanc urbem id Diuus Lutherus combusserit . (c) Alii in sub-

sidium

(a) extant , de usu et auctoritate Iuris Canonici inter Protestantes , Rhetii , Wernerii , et Bruckneri , Dissertationes , sed exemplis illi quidem allatis euincunt , esse aliquem Iuris huius inter Protestantes usum , in finibus autem huius usus determinandis , ipsi fluctuant , et Lectorem incertum dimittunt .

(b) uid . Bruckner . l . c . § . 23 . Thomas Caurel . Iurispr . Eccl . c . 22 . § . 1 . sq .

(c) uid . Ziegler . d . O . I . C . § . 63 . sq . Linck . ad Decret . Disc . prae- limin . Quo iure hoc a Lutheru factum fuerit , ambigitur , et constat , Goedenium et Schurffum aliosque , hoc illius consilium improbase . Probabile est consensu Princi-

sodium eius usum admittunt. Alii quatenus sit receptum? quod, QVATENVS quoisque pateat, non exponunt, atque uel eo ipso, incerta esse omnia, profitentur. (d) Paradoxa uidentur pluribus, quae ICI qui-dam non ita pridem tradiderunt, Ius hoc et ante Ius Romanum receptum fuisse in Germania, (e) et in dubio praeterea eo nunc quoque valere. (f) Et uero similibus tamen illi argumentis nituntur. Ego prius incertum esse, alterum usu fori non seruari, credo. An seruari debeat, non contendam. Nam id quoque in utramque partem disceptari potest. (g) Quod satis est ad incertam auctoritatem Iuris huius declarandam.

### XIX

At, inquis, communem fas esse, sequi sententiam, quae usum Iuris Canonici satis definit. Ego uero, nec ueriorem semper esse communem opinionem, cen-

E. ap. supradicto libro,

---

pis Electoris saltim tacito id factum fuisse, quo praefecto, facile est Lutheram causam tueri.

(d) Communis haec est Dd. sententia, quam reiicit Bruckner. l. c. §. 24. Et recte se quidem habent, que ille tradit, bac ratione infinitas oriri de auctoritate I. Can. lites, et legum potestatem arbitrio parentium relinqui. Sed res ipsa tamen docet usum Iuris Canonici esse incertum add. Ill. Berger. Oecon. p. 36.

(e) Thomas. Cautel. Iur. Eccl. c. 21. §. 41. add. tamen Boehmer. ad Decret. l. 1. t. 2. §. 53.

(f) Thomas. l. c. §. 45. sq. et c. 22. §. 3. sqq. Id. Histor. Iur. §. 176. Boehmer. l. c. §. 38. et 73.

(g) et plerique contra pro Iure Romano contendunt u. Bruckner. l. c. §. 25.

seō, et, quae communis sit, incertum esse. Tempora  
mutantur. Quae singulares olim fuerant sententi-  
ae, cōmunes esse incipiunt, et quae communes e-  
rant, obsolescent. Sequerer tamen, et lubenter se-  
querer, plurimorum sententiam, si modo illi de hac  
controversia certi quicquam tradidissent. Huc enim  
redeunt doctrinae communes: In quibusdam argu-  
mentis Ius Canonicum praeferri Iuri ciuili, in reli-  
quis in subsidium valere. Id vero est obscurum per  
aeque obscenū definire. At non desint, qui clar-  
us loquuntur. Illi vero nonnullas commemorant  
materias, unus plures, alter pauciores, (4) et in his  
Ius Canonicum, in ceteris in dubio praeferunt Ius  
Romanum. Ex quo ipso, uti quam parum certi sint,  
et sibi constent interpres, luculentē patet, ita fa-  
cile opinor, fuerit docere, et in his capitibus non o-  
mnis textus Iuris Canonici parem habere usum, (5)  
et in aliis quoque Ius Canonicum laepius praeferri

Ciuii

(6) III. Bergerus, in tribus potissimum capitibus Ius Cano-  
nicum praeualere tradit, (1.) iuramentorum, (2.) matri-  
monii, et (3.) Processus. Oeon. p. 35. Strykius praescri-  
ptionem addit et usuras, Praccognit. c. 8. §. 28. alii te-  
stamenta u. D. Mencken, ad ff. p. 7. alii alias D. Boekmer.

l. 8. §. 70.

(7) Euoluit, cui otium est, Scriptores, qui differentias  
Iur. Ciui. et Canonici colegerunt, easque conferat  
cum usu forent, et facile intellegent, modo hoc, mo-  
do illud, ius praeualere. Neque causam dari posse, cur  
praeualeat, aut ad classes et regulas usum incertum re-  
uocari.

Civili. (c) In eodem saepe titulo unum capitulum attendimus , alterum negligimus. *Cap. n. XI de testam  
mentis in uiridi est obseruantia , cap. io. X. cod. pluribus*  
in locis non attenditur. C. 8. d. Procurat. &c. diu se-  
pultum jacuit et neglectum , quod cum excitarent ,  
et in usum reuocarent Viri celeberrimi , multi iudic-  
es , ICtri et Caſarum Patroni , professi sunt , se ca-  
pituli huius sententiam diu ignorasse , aut neglexisse  
certe. Viguit tamen per aliqua lustra. Nunc languet ,  
et forte breui frigebit. C. 4tum contra eodem tit. olim  
uultuit , et in usu fuit , nunc esse desit , donec forte re-  
uocetur. Iam milii quis causam dicat , cur eadem in ma-  
teria , immo eodem ex titulo , unum capitulum sequan-  
tur , alterum non aequem. Aut si id praestare ne-  
queat , criterium falsim exhibeat , unde constare  
possit , quae singulorum sit potestas , uel indicem  
capitulorum receptorum. Edidit usum Decretalium  
hodiernum Celeberrimus Boehmerus , sed tantum ab-

E 2 est

(c) ita actionem Legis Aquiliae contra haeredes Ius Roma-  
num non concedit , concedunt Canonistae a. c. 5. X.  
*de raptor.* Uſus uariat , et quod mireris , pro fententia ,  
quam Iuris Canonici Dd. tuentur , responderunt et-  
iam Scabini . *Vitemb. an. 1711. vid. tamēn II. Berger. Ocean.*  
*p. 790.* Aliud exemplum actio pignoratitia praefat; quam  
contra tertium possessorum locum habere negat Ius Ro-  
manum , affirmant Canonistae , *arg. c. 6. X. de pignor.*

Praxis alibi hanc , alibi illam , sequitur opinionem , u.  
*Hippium ad S. ult. quib. mod. re con. obl. D. Boehmer. l. c.*  
*S. 72. p. 138. et III. Berger. Suppl. T. I. p. 98.* Possem plura  
dare exempla. Sed nolo. Lectorum patientia abuti.  
Sufficiat demonstrare , communem hanc de usu Ju-  
ris utriusque fententiam fallere , et fori praxin esse in-  
constantem.

est, dubitandi omnem causam ut sustulerit, potius  
ut hoc ipsum opus euidenter probet, multorum capi-  
tulorum usum esse aliquem, plurium nullum, omnium du-  
bium et incertum.

XX.

Facit propositae breuitatis ratio, per partes singu-  
lulas ut mihi ire non liceat. Haec, quae dixi, ad  
decretales potissimum pertinet. *Decreti* nullam esse  
auctoritatem, vulgo traditur. Sed alii tamen, id quo-  
que non modicam iuris habere auctoritatem, statuant.  
(a) *Esse* aliquem eius quoque usum, vel sola *conditio*  
*ex canone* docet, de qua Dd. in *tit. ff. d. condit. ex lege*  
agunt, quam *ne in abstracto* tantum proponi existi-  
mes, aut ad capitula Decretalium referendam putes,  
vel solus canon *Redintegranda* facit. Debet hoc bene-  
ficio quorundam Dd. industriae, qui protraxere in  
lucem, et conseruarent in foro. Forte aliquando et  
aliis eadem continget felicitas. Sed hanc expectet,  
qui uelit. Ego malim publica legē definiri, quae singu-  
lorum potestas esse debeat. Neque enim solenne  
illud aliorum carmen, *canones ualere, quatenus recipit*  
*sunt*, mihi satisfacit. Librum otium Decretalium, Gal-  
lia non admittit. Nos admittimus ex eo nonnulla.  
Sed quae? dicere non possum, imo nemo, credo,  
potest. Eadem Clementinārum et Extrauagantium  
est ratio, ut de septimo libro Decretalium, et ceteris  
Iuris canonici fontibus nihil addam.

XXI.

Supereft Ius feudale. Hoc uero certius forte  
fuerit, quia breuius. Imo multo magis incertum est.

Ipsa

(a) uid. Ziegler. d. O. I. C. §. 40. sq. Baehmer. l. 1. tit. 2. ib. 16. sqq.

Ipsa legum paucitas facit, ut pluri<sup>m</sup>a sint non defini-  
ta, adeoque dubia, et incerta. Habemus s<sup>an</sup>e com-  
pilationes uarias, sed, si uerum fateri uolumus, pluri-  
mam partem inutiles: in iis, quae quotidiano usu te-  
runtur, materiis deficiunt nos bonae Ieges. Norunt,  
qui Curiis feudalibus assident, aut feudales causas de-  
cidunt, quam steriles etiam interpretum sint libelli,  
qui alias defectum legum supplere solent, ubi von  
*Lehnstamme / de simultanea inuestitura, de feudis impro-*  
*priis, de pertinentiis feudorum, et debitis feudalibus, de sub-*  
*feudis ac plurimis aliis argumentis, incident quaestio-*  
*nies.* Sed hanc incertitudinis speciem, quae ex de-  
fectu LL. oritur, nunc non attingam. Dicam paucis  
de ipsis LL. earumque usu. Prae*iudicij* quaestio est,  
*an Longobardica Iura simpliciter recepta sunt*, et ad feuda  
nostra sine differentia applicari possint. (a) Longo-  
bardorum feuda mera erant beneficia, adeoque non  
mirum est, plures ibi feloniae narrari causas, et in-  
gratitudinem grauius puniri. Aliam nostrorum feu-  
dorum rationem, alias origines esse, magni nominis  
sent iunt ICti. Sed fac uniuersum hoc Ius receptum  
esse, et valere etiam, si ita placet, tanquam Ius scri-  
ptum. Quis expediet, *an capitula extraordinaria etiam*  
*ualeant, saltim in subsidium ? quis, si plures in eodem*  
*textu in memorentur sententiae, quenam debeat usu*  
*fernari ? Tum si Ius Saxonum feudale aut Suevi-*  
*cum a Longobardico dissentiat, quod sequi liceat, et*  
*alteri praeferre. ? (b) Sed hanc iam supra attigimus*

(a) affirmant uulgo. Hl. *Thomafus* contra, exiguum usum  
Iuris Longobardici esse, contendit §. 70.

(b) Communis Qd. doctrina est, Iuris Saxonici feudalis

controversiam, et ius Romanum cum Germanico  
commisimus, ubi, quae dicta sunt, repeti possunt, et ad  
ius feudale applicari. Mericutt, filius Meriptii, aut, ut  
Schillerus uult, Minucii, Baratterii, et auctoris tertiis  
de beneficiis, data opera, non facio mentionem. Neque  
enim quisquam, puto, his libellis Iuris auctoritatem  
tribuit, praeter eos, qui ediderunt. Usus habent in lu-  
risprudentia Critica, non in forensi. Quodnam po-  
steritas preiudicium eis tributur sit, non est nostrum  
huiusmodi. XXII.

Iam satis est. Satis enim, opinor, patet, quam  
incerta sit LL. plerumque auctoritas, quam incer-  
tum, quod inde, ius, redditur. Quae in unam, quae  
in alteram dicuntur partem, subsistunt in probabilitate.  
In iis autem argumentis, quae ex probabilium loco  
petuntur, uix sperare licet certitudinem, aut confen-  
sum. Et ab his tamen praejudicialibus quaestionebus  
pendent innumerae causarum definitiones, penderet ma-  
xima pars iuris nostri. Egregie inerentur de Re-  
publica, qui castum dubiorum, illorum in primis, in  
quibus Collegia Iuridica dissident, decisiones promittunt.  
Auide eas expectant omnes boni, et fortuna-  
rum consiliis salutaribus exitum apprecantur. Sed il-  
li ad eum iam excrueuerunt numerum, ut pene im-  
possibile sit, ius certum reddere per Decisiones singu-  
lares, speciales. (a) Subnascentur quotidie nouae, et

---

receptionem probari debere ab eo, qui id alleget. V.  
Lyncker. ad Struu p. 9. Struu. c. 1. apb. 8. Carpz. P. II. C. II.  
Def. I. Aliter sentiunt Schillerus, Thomassus, Hornius.

(a) Véi circa solam Ordinationem Processus Iudicarii centurio  
de aliquot controversiarum colligi absque negotio pos-  
sunt, et ceterae Iurisprudentiae partes non minus sunt  
foecundae.

*componit. et ius Roasam cum Cetaria*

succident frequentes dissensiones, quo usque principiis  
non obstant, qui possunt, et fontem, unde scaturiunt,  
obtundunt. Huc uero in primis pertinent illae, de i-  
psarum LL. auctoritate, disputationes, quas tandem  
publica lege definiri, salus publica postulat. Quous-  
que enim hic fluctuamus, facile est, causas quascun-  
que tueri, et in utramque disceptare partem. Arbitra-  
ria erunt omnia iudicia, hoc est, ex arbitrio ICto-  
rum pendebunt, qui non de his modo priuatorum con-  
trouersiis, sed de ipsis legibus, earundemque auctori-  
tate, decernent. Nihil autem magis periculosum est,  
quam arbitris iudicantium relinquere multum pot-  
estatis. Valet tunc plus favor in iudice, quam lex in  
Codice. Et qui bene causae cupiunt, ius facile fuerit,  
inuenire legem, aut argumentum legis, quo illam su-  
stineant. Neque est, quod mihi fidei et religionem  
iudicantium obicias. Etiam boni viri labuntur, et  
eo saepius, quo facilius est, errores summi specie iuris  
tueri. Imo absque dolo etiam, et bona ueluti fide,  
saepius labuntur. Nam etiam cum non aliter, quam  
quoad saluo iure fieri id possit, subleuare cupiunt cli-  
entem, qui, in industria et dexteritate eorum se salutis  
spem collocare, ostendit, diligenter perquirunt o-  
mnia et rimantur, tum vero primum dubia, mox pro-  
babilius, tandem iusta ipsis causa eius uiderur. Itaque,  
non tam fallunt, quam falluntur. Cum enim in ipsis  
iuris controuersiis dubii sint, et in utramque partem  
pendeant, facile minima rerum momenta in hoc ae-  
quilibrio eos commouent, efficiuntque, ut uera esse  
credant, quae uera cupiunt esse. Haec aliaque gra-  
uiora ex incerto iure incommoda nascuntur. Salus  
itaque omnium posita est in definitione controuersia-  
rum

arum, illarum, in primis, quae ipsas leges in dubium  
uocant, et earum debilitant auctoritatem. Neque  
vero spes deficit medelae. Sed praestare eam soli  
possunt, qui leges dare. Vniuersi Imperii Decisionem  
hic frustra expectes. Iam dudum in Comitiis desie-  
runt de legibus priuatis condendis agere Ordines,  
quae olim solennis erat Conuentuum Imperialium ma-  
teria. Neque opus est, eo ut res deferatur. Omne  
enim, et antiquum Germanicum, et lustinianum, Ca-  
nonicum ac Feudale Ius, omnem, quam in quois ter-  
ritorio habet, auctoritatem, habet a Prouinciae Domi-  
no. Is igitur, quam quodque uim habere debeat, de-  
terminare potest: potest abrogare, derogare cui uelit.  
Eius in arbitrio est pro pluribus Codicibus unum no-  
bis dare, aut pro omnibus alium, aut singulis suum  
preium constituire, et definire. Difficultatibus ea  
res obruitur, sed superabilibus, quas prudentia et in-  
dustria, quibus nihil est imperium, uincere omnino  
possunt. Verum haec ad prudentiam Legislatoriam per-  
tinent. Manum ergo a tabula remouemus. Sed et festi-  
natio abrumpere filum iubet, quae et ipsa prohibuit co-  
piosius differere de ample satis argumento. Finimus  
uoto, ut post Epocham Iuris Controuerxi et incerti,  
redeat aetas iurisprudentiae certioris, componantur  
aut minuantur Ictorum dissensiones, atque consilia  
saluberrima Virorum illustrium, qui nunc pluribus in  
locis emendationi legum incumbunt, superatis, quae  
obiiciuntur, difficultatibus, feliciter procedant. Magna  
enim et rara Reipubl. est felicitas, Ius habere pla-  
num, aequum, ad utilitatem communem  
accommodatum, et in primis  
certum.

## SVMMA DISSERTATIONIS CAPITA.

*Ius incertum maxima in Republica damna parit. §. I.*

*Oritur ex paucitate legum interdum. §. II.*

*Earumque obscuritate, aliquando et ex Iudicium liberiore  
potestate, et inconstantia ICTorum. §. III.*

*Iurisprudentia Forensis bodierna magnam partem dubia est,  
et incerta, non ob legum inopiam, sed ob antiqui Iuris  
obscuritatem, obseruantias Collegiorum Iuridicorum, in-  
numeras controversias, et in primis dubiam singulorum  
Iurium auctoritatem. §. IV.*

*Instituti ratio et excusatio. Querelae de iure incerto, et  
interpretum circa eius auctoritatem dissensionibus, lici-  
tae sunt, amo utiles et necessarie. §. V.*

*Ius, quo Germani utuntur, in Vniuersale et Particulare  
diuiditur. Abusus huius doctrinae. ius quodcumque  
priuatum in singulis Provinciis Iuris particularis ratio-  
nem habet. §. VI.*

*Ius Germanorum priuatum aliud domesticum est, aliud  
peregrinum. Illud in recentius et antiquum diuiditur  
§. VII.*

*Recentius constituit Constitutiones Principum. Haec con-  
tinent Ius certum, et indubium, quod tamen saepius in-  
silicentum reddunt obseruantiae Collegiorum Iuridicorum,  
et ICTi, qui legum auctoritatem aestimant ex usu. §. VIII.*

*In primis uero dissensus Interpretum circa principium in-  
terpretationis. Doctrina vulgaris: Iura provincialia ex  
Iure Romano explicanda esse, discutitur. §. IX.*

*Vsus Iuris prisci Germanorum incertissimus est, dubiumque,  
unde illud hauriendum sit. §. X.*

4

**I**ncertum est, quam olim Volumina Iuris Saxonici, Land-Recht / Lehn-Recht / Weichbild auctoritatem habuerint. §. XI.

**I**ncertum, quam hodie habeant, et an usus singulorum tex-tuum praesumatur, an probandus sit ab allegante. §. XII.

**Q**uae in usu sunt capitula in alienum sensum saepius fle-tuntur interpretatione. §. XIII.

**I**nter Iura peregrina eminet Romanum, quod, quando nimirum Iuris habere cooperit inter Germanos, ignoratur. §. XIV.

**N**on conueniunt ICTi, an id Iuris principalis an subsidiarii rationem habeat, neque magis quando in subsidium sit uocandum. §. XV.

**A**lii, uniuersum Ius Romanum iuris uim habere, contendunt, et obseruabilitatem eius asserunt, alii singularum legum receptionem probandam esse uolunt. §. XVI.

**D**e singulorum Iuris Civilis librorum auctoritate controv ersiae plures sunt. §. XVII.

**U**sus Iuris Canonici inter Potestantes est incertissimus §. XVIII.

**C**ommunis doctrina: in quibusdam argumentis id Iur. Ci-vili praeferri, in ceteris in subsidium ualere, aequa dubia est et obscura. §. XIX.

**D**e decreto, libro VI. Decretal. Clementinis etc. magis etiam dubitatur. §. XX.

**I**uris prudentiam Feudalem incertam reddunt controv ersiae circa auctoritatem Iuris Feudalis Longobardici Saxon. et Sueuici. etc. §. XXI.

**I**taque ius Priuatum, quo utimur, magnam partem dubiae est auctoritatis. Inde summa orientur incommoda. His mederi nemo potest, nisi Legislatores. Conclusio. §. XXII.

Wittenberg, Diss., 1715

ULB Halle  
005 390 001

3





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



VII  
DE  
**INCERTO**  
EX  
**EGVM, QVIBVS**  
**AVCTORITATE**  
**RIVNDO**  
SSERTATIO,  
QVAM  
EMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
O PRINCIPE AC DOMINO,  
**CO AVGVSTO**  
NCIPE REGIO  
RELIQVA  
RAE S I D E  
**RICO GRIBNERO**  
T. ORD. H. T. DECANO.  
FEBR. A. cD Dcc XV.  
EXAMINI SVBIICIET  
AVCTOR  
**VS GARNESCH**  
EVERA-FRISIO.  
FORMIS SAMVELIS KREVSIGIL.